

2411. II.

GRATA VOTA

In

Solemne Doctoratus

Testimonium

Viri Clariss. Consultiss. & Doctiss.

DN. JOACHIMI
VOLSCHOVII,

J. U. L.

Summum in Utroque Jure

Gradum adsumentis die 10. Sept.

RECTORE

Magnifico, Amplissimo, Clariss. Excellentiss.

DN. FRIDERICO MEVIO J. U. D.

Illustrissimi & Cellissimi Principis ac Domini,

Dn. PHILIPPI JULII, Ducis Sedin Pom. &c.

Consiliario, & Academiae Professore Publ.
ordinario.

PROMOTORE

Clarissimo, Consultissimo & Excellentissimo


DN. FRIDERICO GERSCHOVIO

J. U. D. Consiliario itidem Principali &

Professore publico ordinario.

GRYPHISWALDII

Typis ALBINIANIS, Anno 1622.



Rtes omnigenum sunt flumina ma-
 gna bonorum,
 Artes virtutum semina dia fo-
 vent.
 Artes suprema ad doctos fastigia
 tollunt,
 Et decorant vera nobilitate vi-
 ros.

Artes (si fructus quis & emolumenta sequatur)
 Sunt, quibus utilius nil, reor, orbe viget.
 Mollia si spectes delectamenta, voluptas
 Non major, non his, suavior esse potest.
 Sin quoq; nitorem quæras famamq; celebrem,
 Artibus ingenuis doctus ad astra volat.
 Illustri exemplo es nobis, JOACHIME polite,
 Te alma Themis verâ nobilitate beat.
 Te decorant artes, te concio docta coronat,
 Et titulo juris summo Utriusq; vehit.
 Sancto ergo grator sudori, grator honori
 Ex animo & titulis prospera quæq; precor.
 Prospera quæq; precor, quò laurea ferta virorem
 Perpetuum servent. Fac rata vota DEUS.

Fausa acclamationis ergo deproperabat

BARTHOLEMÆUS BATTUS,
 SS. Th. D. & Prof. Ord.

Semper

9597

MS 308432



*S*emper fama fuit; sua cuiq; exorsa laborem
Fortunamq; ferunt; nec enim manifesta negabo.

VOLSCHOVI, Eunomiæ decus immortale, bonorum
Delicium, canæ spes plurima & inclyta matris;
Addidit innumero mixtum sudore laborem
Fortibus à teneris annis addiscere signis
Quid doceat iustum bene Papinianus & equum,
Quæq; Sacerdotes Themidos nova jura perenni
Lege ferant, positasq; novent per dogmata causas.

Addidit innumero mixtum sudore laborem,
Fortibus à teneris annis addiscere signis
Omnis ab integro seclorum ut cardo resurgat.
Summaq; mundi etas priscum revocetur ad ævum,
Mutescantq; animi paulatim, & ferrea quondam
Desinat ac toto surgat gens aurea mundo,
Quo positus pacatus eat virtutibus orbis
Sitq; fides regni socijs, & sancta potestas
Sit patiens consortis, & hospes ab hospite tutus.

At nunc, quæ quondam tulerant exorsa laborem,
Fortunam referunt, quâ non præstantior ulla est.

Magnificus Doctof FRIDRICH GERSCOVIUS, ille
Metropolita pij Ducis ò JULI usq; PHILIPPI,
Jam pridem meritis tua tempora frondibus ornat,
Atq; facit digito monstrari, & dicier hic est
Eunomie Doctof, cui quondam exorsa laborem
At nunc fortunam referunt, Duce & Auspice Christo.

Sis bonus ò felixq; tuis, lætèq; Sacerdos
Exulta Themidos; nunc nunc tibi mæsis in herbâ est,
Et fors fortunâ velut unda impellitur undâ.

Attonitus videat tua Judex ora, sonabit
Defensura reos tua cum facundia voces.

*Sic ego: si tamen haec dederint exorsa laborem,
Fortunam referent; nomen laudesq; parabunt
Immarcesibilisq; aeternos frondis honores.*

Intimo suo ex an. ac.

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph. & J. U. D.

Poët. C. Cæs. Prof. Mar. & Adv. Jud. Wolg.

Ipsè venire sinam Uinum qui te dicere digna
Possit Amice, meis gratia nulla metris.
Non nego, nil equè facili fluxisse Minervâ
Nobis, Carmina quàm, nunc tamen ecce silent.
Sic solet & gladius ferrugine hebescere acutus,
Et quandoq; bonus dormit Homerus abhinc.
Sic etiam cursor, sit sive celerrimus, olim,
Obtusis nervis desinit esse celer.
Decidit apposito non raro & alaunda volatu,
Sic mea nunc torpet vena, supina jacet.
Integer aëst animus, vigilatq; suetus hic ardor,
Inq; meos charos semper amica fides.
Illa, silente metro, Constanti mente loquatur:
Virtutem longe plura merere tuam.
Hic est Principium gradus, hoc ascendere possis
Quo te sublimem fama secunda ferat.
Prosit honor, Doctor Consulte, sit hic tibi felix
Nunc gradus, ad summos sitq; venire gradus!

Necessitudinis e. animitus gratulabatur

M. JACOBUS GERSCHOW.

Illa tui ingenij, Affinis Clarissime, virtus
Et laude & voto digna brabea capit.

Lau-

Laudem perfolvat, qui te decreta rogavit
 Juris, cognoscens eximium artis opus;
 Cui sit non tantum concessa *Licentia* mitram
Doctoris petere, & promptius accipere:
 Scilicet *Ante-chorus-cessorum* hanc cantet Juris
 Quam *Themidi* magnæ Gryphica Musa dicat.
 Ille etenim meritos tibi dum decernit honores
 De facili laudes addere & ipse potest.
 Quas ego si vellem nunc auctas carmine, parvula
 Scintillam Phœbus Lucifer acciperet.
 In votum quare sit laus conversa. J E H O V A
 Te *Juris* Myrtam sospitet atq; regat.
 Quò tu (non Injusticiæ sed) Justiciæ ipsi
 Instar Patroni maximi adesse queas.
 Sic fiet, scurram & rabulam ceu frons premit effrons;
 (Uno dum nummo vendere jura solet)
 Te cultura æ qui ac justis super æthera tollat,
 Ac veræ sortis prosperitate beet.

Ita verebam ex affinitate & amore singulari

M. ALEXANDER CHRISTIANI
 Log. & Metaph. Prof. Ord.

I Nter *Patricias*, quas & *Stralsundica* jaclat
 Gryphicæq; urbs *Stirpes*, facile est *VOLSCOVIA* princeps.
 Namq; Senatores (reliquis nil derogo) multos
 Curia utriq; dedit: Duplex hanc Consul, & unus
 Ornat Præpositus. Quis defuit haftenus ergo,
 Forsan quæris; Honor tam claræ stirpis honori?
 Rem cape: Nullus adhuc tot *VOLSCOS* extitit inter,
 Summa Doctrinæ titulo qui claruit, istud
 Tu donec, *JOACHIME*, Decus jam *Stemmat* implet,
 Primus & ex reliquis Doctor *VOLSCHOVIUS* audis.

4
Ergo novum Stirpi merito nunc grator honorem,
Atq; novum JOACHIME, tibi nunc grator honorem:
Quem non Francfurtum, non Argentina celebris,
Nec Basilea ferax Doctorum, pluribus annis
Quæ cum commisso tibi sunt habitata Barone,
Contulit, at reduci en Academia patria confert.

Jura novos Patria, Stirpiq;, Tibiq;, Tuisq;
Clementer Titulos fortunet, ut Insula scænus
Rubra infractorum pariat tibi grande laborum;
Inq; Scholâ Legum cupide prodesse juventa,
Seu privata velit, seu publica Jura doceri,
Inq; Foro Themidi sollers litare, clientes
Tutari afflictos, Rabularum pabula, lites,
Ac Labyrinthæas Causarum tollere tricas
Gnaviter ut valeas, Antistes Juris & Equi.

Adfinitatis necessitudine poscente

L. M. Q. deproperabat.

Christian Schwarze Reipub.
Patria Senator.

Sic JOACHIME tuo respondet digna labori
Præmia; quando Themis viridi tua tempora lauro,
Quam Virtus Probitas & vera scientia Juris
Olim spondebant, Gryphico nectente lycæo,
(Nam tuâ certanti debentur præmia;) cingit.
Nil tibi jam superest ad vitam, crede, beatam,
Quam vivum corpus Juris, manibus pedibusque,
Quod constet: sic acta die & de nocte revolves,
Inq; Foro inq; Thoro quod agas sat semper habe-
bis.

Macte

Maſte novo titulo, toto quem corde ſecundum
Comprecor Affinis tibi, talia vota refundens :
Vive D. I. U. Jovæ, Patriæ que, Tuiſque, Mihi que.

*Dn. Affini ac fautori meo intimo honoris &
amoris ergò f.*

JOHANNES Stein Miſn. verbi divini in
montanis Rugiæ miniſter.

SI JOACHIME tuos ſtudiorum inquirò proſectus,
Ingenij attendo ſingula dona tui :
Diſſeream, tu ſi non magnos laude coruſcos
Æquiparare poteſ, quin ſuperare poteſ.
Tanta tui eſt pietas, Virtus, induſtria tanta,
Ingenij & genij viſ bona tanta tui !
Tanta eſt linguarum, Themidoſq; ſcientia tanta,
Tantus & eſt inte relligionis amor.
Ergò datur meritò tibi premium honoris & artiſ,
Et DOCTOR JURIS ritè vocatus abis.
Inunc ; ſed titulo longum & feliciter uſus,
Æterni capias Nominis encomium.

Pij affectus ergò ità gratulab.

M. JOACHIMUS Seger/
G. P. SS. Th. Stud.

Quò longior nos inter amica notio,
JOACHIME, Vir doctrinà celebratiſſime ;
Eò, ſcio, Te Carmen à me longius
Sperare Honoribus diſce Doctòralibus.
Ego ſic reor : quò notior es hic Omnibus,
JOACHIME, Vir doctrinà celebratiſſime,

Debere

6
Debere eò me Carmen scribere brevius
Tuis Honoribus hisce Doctoralibus.
Quid enim, novelle DOCTOR, dic mihi, quid meo
Celebrare potero haud expolitò Carmine,
Vel Te JOCHIMUM VOLSCHOVIUM, vel MÆVIUM,
Tuum tibi Fratrem suavi-charissimum,
Vestrivè Sanguinis ordine hic notissimos?
Nomen Tuum saltem, Tuorum &, ubi effero,
Sat laudo Te, Te, à moribus ornatissimum;
Te, ab eruditione præstantissimum;
Decus & Lumen tuorum exoptatissimum;
DOCTORIS atque Honoribus dignissimum.
Nunc laudo Te, tuum Nomen quando effero?
O magna Laus, nostræ domi quæ nascitur!
O vera Laus, nostro è sinu quæ promitur!
Nil addo laudibus tuis, nil: sed, super,
Quod est, DEVM precor, tenore dextero
Faciunt cadant tibi cepta hæc Doctoralia!

Honoris ergò adjecit.

DAVID RUDOLPH. Subr. Scholæ Gryphism.

Argentinates Basilei Lipsiacique,
Civis hic est vester jubila! VOLSCHOVIUS.
Mittite Legatum Rhenum, Comes adsit Elyster,
Gratari, civi cepta secunda Bono.
Cepta; quibus Doctor venerando jure creatur,
Mæviadæ sceptris Gerschovijq; manu.
Indultu Rungl, sic Rector, sicq; Decanus,
Cancellarius & totus hic ordo cupit.
Salve Rhene, Comes salve peramantèr Elister,
Legati ceptis hospitioq; novis.
Dicite Blandifono redeuntes deinde susurre
Argiricis Basillis Lipsiacisq; Viris.

VOL-

VOLSCHOVIUM Civem florere insignibus, hic dum,

Rhenus erit fluidus donec Elyster erit.

VO LSCHOVI sit bonos tibi prosper, perpetuus, dum,

Rhenus erit fluidus, donec Elister erit.

Dn. fautori & Aff. ex animo

LAURENTIUS GERSCHOVIUS

SS Theol. Studiosus.

Sic est, & hæsitacione omni vacat,
Virtus manet, rogi fugacis inscia,
Sese exserit teritque cuncta masculè:
Nitatis hac & ambias, apiscitur
Sat premij sat & laboris ardua
Hæc quem manet possessio, & firmissima.
Callis salebrofus, salebrofa est via,
Sursumque euntem sudor urgit & labor
Sed qui penetrat alta foelici pede
Hinc trito ovat gaudetque tramite, & metit
Uberriam messem laboris improbi
Hoc ipse, VOLSCHOVI tuo satis probas
Exemplo, amor quem non levis quem gloria
Titillat haud inanis, imponit Themis
Hoc jure tibi sacrum Diadema frondibus
Caput tuumque læta honoris implicat.
Te namque Filix colentes ardua
Vireta duxerunt in hortulos Iovis
Hinc Iura callens congruum discernere
Incongruo nosti, invidendæ acumine
Mentis: ut & ausis hinc tuis brabèa nunc
Confert Themis, salutat & vocamine
Summo, tuoque gratulatur muneri

C

Con-

Congratulatur turba Tempe ad Gryphica
Lætumque ducit læta præsentem diem.

8

Avunculo suo sempiternum colendo sic acclamare
voluit imo debuit

PETRUS BRUNNEMAN.

Εγκλιτε κη μεγαλώνοι· Άνερ μεγαλαιο' ἀρετῆσι,
Οὐ μόνον ἐν νεότητῃ; ἀγλαῆ νεανίσκον ἔοικε
Παντίων σε φέρειν κραδίη τὸ ἅπαν γένθ' ἔργων
Θαρσελέη χαλεπῶν: Ἄλλ' ἐξῆς μήτρο' οἶκον
Λειπόμυρ', ἀλλοθείας οἴχεσται τηλόθ' ἐν αἴαις,
Ἐρμησ' ἀθανάτης φήμης μελιδήματα πιῆς
Κύδος' ἀενάα· ἐκέλευσε περὶ σὸς ὄρεξις,
Οὐρανὸν σὲ ὡς ἀλλάπειν, ὅτι ἀλλὰ νέεσται
Ἦψεν εἰς πατρὴν τέχνης, τε κεκασμῶν ἐοδλαῖς,
οὐδ' ἐλπίς κενεή; ἔπειτα γὰρ πίσις ἔπεισι.
Ἦνιδε γὰρ σοι, ὡς ἴμις ἐσ', ἀναγεύρεται αὐγῆ,
ὡς πατερίδα πλὴν φωτῆς κύδη ἀμέμπτια.
Τάνεκα συγχαίρω ἄμα κη σοι εὐχομαι, ἄσπ
Μῦνθ' ἔων δαίτηρ ἀγαθῆ' ἔ' ἅπαντος ἐν ἔργοις
Σοι αἰὲ συμπεράξῃ, εὐχόστω ὁ ὄλθ' αἰεξῃ.

Ex anim. gratul.

DANIEL LUTKEMANNUS
Dem. Pom.

Gryphiacis musæ studijs vos anne favetis?
Quando adeo doctos fovet hæc Academia, tanti
Actus Doctorum dum pauco tempore fiant,
Iam fiunt; & adhuc multis in licentia juris
Tradita jam dudum, quibus est permessa potestas.

Duce--

Ducere Doctoris titulum, atq; insignia honoris?
Associasti his te VOLSCHOVI, in jure Sacerdos,
Quare Doctoris titulum nunc jure mereris,
Sic post Phœnicem tua teq; familia dicitur.
Gratulor ex animo ceptis, mea vota precentur,
Tales post multi ut veniant e stemmate vestro.

Fausi ominis ergo fudit

FRIDERICUS GERSCHOVIUS

Laur. f.

Nullum poeniteat duros subijisse labores:
Namq; illos virtus inclyta subsequitur,
Virtutis quæris si præmia respice honorem,
Qui tardus magno sænore sæpe venit.
Atq; animi semper cui stat conjuncta voluptas,
Indicium accepti maximi in orbe boni.
Quod sequitur quicquid verè gravis expetit unquam,
Vir vitæ; corpus ceu solet umbra sequi.
Exemplum cape VOLSCHOVIUM, quem ad sidera virtus:
Tollit, Doctoris quem tituloque beat:
Hunc labor assiduus prodignum fecit honore :
Namq; operam juri nocte dieq; dedit :
Subsequitur quum nunc animi pergrata voluptas,
Et quicquid justus poscere possit homo.
Mentis enim præ se declarat gaudia vultu
Dum ingenti plausu lætitiq; fremit.
Et quanquam malefida oculis fortuna videtur
Virtutem averfis, more suo, aspicere :
Attamen excellens sic fors simulare videtur ;
Namq; quod ab ejus parte stet ipsa puto.
Quod jam non dubijs poteris cognoscere signis,
Ejus si spectes gaudia blanda, jocos.

Nam

10
Nam non accusat fortem, ast nova gaudia plausu,
 Illâ contentus, cum socio celebrat;
Imo refert lusus nimia gravitate carentes,
 Et dat iucundis tempora multa jocis.
Sed nimius ne sim; V O L T S C H O V I, cerno per amplexu
 Quem ornatum titulo, si mea vota dabo,
Atq; tibi paucis nunc omnia fausta precabor:
 Christus fortunet tradit, honoris opus:
Te regat hic semper divini flaminis aurâ;
 Ut tibi sit curæ Relligionis amor.
Hic tibi sit custos fidus; vivendo ut in orbe,
 Tu vincas Pilij tempora longa senis:
Sisq; diu præsto solando, regendo, iuvando
 Civibus, ac urbi, pauperibusq; pijs.

*Hon. observ. & Affinitatis g.
 confecit*

HENRICUS GIESSEBERTUS
 Demmin, Pom.

F I N I S.



2411 E



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.